



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. XXI. Immeritò multiti odio Romani Pontificis à vetere Ecclesia
secessionem faciunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

Familia po-
tificis sit ex-
emplo toti
orbis.

Omnes cir-
ca pontifice
sanctos esse
oportet.

Qui iudice
in terris no-
n habet, Deo
iudici se
probet.

Honor
summus
summam
virtutem
requirit.

In vicario
suo, etiam
peccatore
Christus
honoratur.

Ecclēsia in
pontifice
honoratur.

Officiū san-
ctissimum.

Beatus, bea-
tissimus di-
citur.

Idem titu-
lus Concilio
generalibus
tribus solis-
tus.

Potestas eius est, quæ aliorum Episcoporum; sed eo maior, quod est in ipsos Episcopos; quod sine eo Synodus oblematica cogi nulla possit. Cura eius vniuersalis, obligatio pro cunctis animabus. Sed maxima pro domesticis, & curia sua, quam omnes ita constituere tenentur, ut in ea sit modestia, pudor, iustitia sacerdotis domui conueniens; si enim suorum domesticorum, iudicum, & officialium curam non habeat, fidem factis negat, & pastor omnium fidelium, est infideli deterior. Cum enim summa sit eius iurisdictio in terris, à qua nulla datur appellatio, cum eius iudicium sit à nullo retractabile, cum ad eum omnes vndecunque appellent, causa Episcoporum, principum & regum, ad eum deferantur, de omnibus iudiciis ille iudicat, ille à nemine iudicetur: ut autem iuste iudicet, assessores, cognitores, subordinatos iudices iustos, diligenterque habere necesse est.

Cum vero pietatis causa, & religionis, pontificem Imperatores venerentur; ut est in Epist. Nicolai ad Constantinopolitanum Imperatorem; necesse est grauissimi sceleris reum esse pontificem, cum officio suo deesse, & orbem Christianum frustrare incipit. Imo nisi maiorem zelum pro Dei honore quam ceteri Christiani præstat, præuicator est. 32. q. 1. officii.

Quanta vero eius esse debet innocentia, qui non necessitate, sed propria voluntate se purgat ab obiectis criminibus? 2. q. 4. Mandasti. q. 7. Nos si.

§. 7. Huic tantæ potestati Christianam Ecclesiam decens, honor adiunctus est; Nam & diademate cingitur, & regum obsequiis colitur, demissione etiam ad oscula pedum procedente. Culpant hoc sectarii, & si fastu, non autem officio agatur, culpandum foret. S. Thomas 22. q. 20. ostendit honorem eum non esse inordinatum. Nam obseruantia, qua dignitate excellentes prosequimur, si publico funguntur munere, non ad eorum sed Dei, & Reipublicæ honorem pertinet. Honor pontifici delatus non illi, sed Christo cuius vicarius est, exhibetur, quocirca & crucem gerit, ut crucifixus, non sibi honorem dari contestetur; cum vero etiam sit totius Reipublicæ Christianæ caput, ipsi Ecclesiæ honor in eius capite merito deferatur, defendit olim in Concilio Basileensi Henricus Kalteisen, eam cerimoniam, neque nunc vllum, nisi hæreticum offendit. Sanctissimus vocatur, quia sanctissimum est eius officium. Ipse interdum impius est, atque in æternum damnatur.

Beatus, & beatissimus dicitur ex eadem excellentia potestatis, idem Henricus Kalteisen de libertate Euangelicæ prædicationis, in t. 4. conc. p. 339. sic exponit. Venerabilis Thom. de Walden, lib. 2. c. 36. sic & Concilia generalia dicuntur sancta & sanctissima, non à sanctitate personarum inibi existentium, sed ex plenitudine officij sanctificandi & infallibili assistentia Spiritus sancti, sic & ecclesia Catholica dicitur sancta, non propter sanctitatem omnium existentium in ea, cum sint multi peccatores, sed propter sanctissima eius officia, propter sacramentorum sanctitatem existentium in ea, non enim talia dicuntur sancta ex opere operante, sed ex opere operato. Ideo S. Cyrillus in epist. Synodica directæ Nestorio, quæ incipit: Religioso & Deo amabili; nominat Papam sanctissimum, & venerandissimum, similiter sacrum generale Concilium, similiter S. Hieronym. Papam vocat sanctissimum, gloriam sanctitatis suæ magnificans in libro, qui intitultur: de gestis Romanorum pontificum, in principio scribens ad Damasum Papam. Tertium, quod Papa ratione officij sepe aptissime nominatur beatus seu beatissimus, non quasi extra statum via æternaliter constitutus beatus, sed propter admirandam suæ potestatis excellentiam, quæ prope Christum attingit,

quicquid enim potestatis, quicquid gratiæ sacramentalis, quicquid dispensationis celestis à Christo capite Ecclesiæ commissum est, ipsa Ecclesia dispensat, & Papa in fide non errante, totum est eius dispensationi commissum. Hinc B. Hilarius etiam Imperatorem Constantinum propter auctoritatem imperialem beatissimum nuncupauit in epistola sua ad eundem de fide. Et B. Ambrosius quibusdam scribens Episcopis & sacerdotibus malis, quos de symonia & multis excessibus redarguit, beatissimos & sanctissimos patres nominat in libro suo pastoralis, quem de obseruantis ipsorum intitulat. Quarto ergo dico, quod si Papa aliquid mandat faciendum, quod non est contra legem Dei expresse aut contra statuta aliqua sanctorum patrum, etiam si se literaliter in lege Dei veraciter non fundat, ei obediendum est.

§. 8. Cum omnium cura pontifici incumbat, vniuersa tamen ratio est omnia curandi, si curiam suam vitiis liberet, si viros rerum, iustitiam, gubernandi peritos, vere pios, avaritiæ munerumque ofores circum se habeat, alioqui nec causas intelliget, nec recte iudicabit. Curiam itaque conseruare, & si opus sit reformare studebit. Nec excusationem vllam prætereundam potest, si enim episcopos, principes & reges admonet, corrigit, punit, non poterit ministros suos aut dimittere, aut ad honesta cogere? Actum ea de re in Concilio Lateranensi, & extant Bullæ Leonis decimi. Nec modo curia ipsius, sed Legatorum quoque pontificiorum, quorum cum sit Episcopalis, & interdum Cardinalicia dignitas, religiofior est. decet non modo mores esse probos, sed familiam etiam esse modestam: alioqui probra in ipsos, & sedem Apostolicam recidunt.

Constantinus vocatus ab Hilario beatissimus.

Inter omnia nihil efficacius, quam curia Romana sanctitas.

Aula pontificis omni monasterio religiosior est.

CAPVT XXI.

Immerito multi odio Romani pontificis à vetere Ecclesia secessionem faciunt.

§. 1. Quid ad omnes ætates pertinet, ut legitimum in Ecclesia magistratum agnoscant, id in coronide mea contra eos, qui, cum ista scriberem, iubila sua declamabant, conuertere, ut à calumniis falsis, verum Christianorum omnium, etiam regum pastorem vindicarem. Hoc etiam munus ad politicum pertinet, quandoquidem in Ecclesia est nostra respublica, & in hac illa.

Generatim hoc propono, quia maxima pars concionum conuiciis contra pontificem infumitur, adeo, ut si maledicta illa demantur, ex multis tomis futurus sit libellus vnus. Concionum plurimarum argumentum est, ex Danielis cap. 11. 31. & sequent. Apocal. 12. & 13. & 14. & 17. ut omnia quæcunque in Antiochum, & Antichristum scriptura vnquam dixit, Pontifici imputent. Ita Matthias Hoc conc. iubiliana 3. Baldunus Fredericus, Wolfgangus Franzius, Erhartus Lauterbach, Michael Mullingius, Vincentius Schmuk, Paulus Laurentius, duabus concionibus, Ioannes Pandocheus, sunt & aliorum theses, & declamationes.

In hisce tria notauimus omnes facere. Primo quæcunque vnquam ab aliquo Pontifice male gesta sunt, toti ordini imputant, & exaggerant, ut si quis Achabi vel Manassis scelera cunctis regibus attribuat, ideoque sceptrorum vim tollat, quia suis affectibus multi reges sapius, quam legibus obsecuti sunt. Secundo, quæcunque contra Pontifices vnquam ab eorum inimicis facta sunt, tanquam oracula cum auctario proponunt, quæ autem pro Pontifice dicuntur feruentius, illa in calumniam rapiunt. Ut cum dicitur Pontifici in terra datam potestatem sol- uendi

Novatores omnes in Pontificem insurgunt.

Artes calumniandi Pontificem. 1. Vnius peccata omnibus imputant. 2. Figmenta contra Pontificem colligunt.

uendi peccata, sicut Deus in cælo soluit, & iudicium Pontificis etiam Dei esse, mox clamant, Pontificem æquari Deo, Deum de throno deiici, & Pontificem extolli, Pontificem Deum à nobis statui, cum tamen particula *et*, aut sicut similitudinis non minus, quam æqualitatis sit nota, cum aliud non doceamus, quam ea, quæ Pontifex soluit aut ligat in terra legitimæ potestatis usu, ea in cælo solui vel ligari, & Christum habere serui sui, & Vicarii ratam sententiam. Tertio doctrinam Pontificis oppugnant, in quo certamine tria stratagemata notauimus. Primum est, imputare pontifici, & Catholicis ea dogmata per calumniam, quæ expressissime damnamus, & anathematizamus. Alterum, quæ antiquissima Ecclesia docuit, verbi gratia de purgatorio, ea velut noua Pontificis, Monachorum, & leuitarum inuenta traducunt v. g. Purgatorium figmentum Monachorum aiunt, at Zanchius lib. 4. cap. 4. quæst. 5. de natura Dei ita loquitur: Verum enim vero primum, nondum potui certi aliquid reperire. Est tamen antiqua consuetudo, & doctrina. Nam Tertullianus de eis precibus pro defunctis mentionem facit, in lib. de cor. mil. Christi. pag. 449. sed aperte inter ea numerat, quæ ex sola consuetudine fluxerunt: minime autem ex scripturis desumpta sunt. De eadem re scribit lib. de monogamia pag. 578. item oblationum pro defunctis mentionem facit, lib. de exhortatione ad castitatem, pag. 564. Nunquam vero docet vel innuit, preces illas vel oblationes fuisse ex verbo Dei, aut etiam ex Apostolica traditione.

Dionysius, qui Areopagita dicitur, in lib. de Eccles. Hierarch. cap. vii. & alibi. Cyprianus Epist. lib. 13. Epist. 6. item lib. 4. Epist. 5. & alibi sepe. Ambrosius T. 3. in orat. fun. de obitu Theodori: item altera de obitu Valentiniani: & in orat. de obitu fratris sui Satyri. Chrysost. in Liturgia, & alibi. August. T. 1. confess. lib. 9. cap. 12. 13. rogat Deum, ut peccata matris defunctæ remittat. item lib. de cura pro mortuis agenda. cap. 4. ait, non esse omittendas supplicationes pro spiritibus defunctorum. item Tom. 4. in 8. quæst. ad Dulcium quæst. 2. & alibi.

Exemplum exhibere volui artificiosæ & rudis malitiæ: Zanchius atque alii, qui aliquando veteres legerunt, fatentur iam Dionysii Areopagitæ tempore & Tertulliani fuisse consuetudinem, citant Cyprianum, Augustinum, alios Patres. Itaque hæc, cum parum ad odium Pontifici concitandum valerent, artificiose omittunt, & simul stolidæ & ruditer: Et si enim suis imponant, & oratores videantur, conscientiam tamen Christiani orbis vereri debent. Tertium est odiosa facere Catholica dogmata, & sua horridiora mollibus verbis polire.

§. 2. Odiosam nostram doctrinam faciunt interpretatione peruersa. Id cum olim cœperunt multi, præsertim scurra Anonymus contra Priuilegia Calvinistarum à P. Martino Becano edita, quem secuti sunt Anonymus contra Vngersdorff, & nunc Iubilantes præsertim Zeeman, & ceteri qui nihil nisi suorum famulos libellos legere consueuerunt. Verba scurræ de Oppenheim, qui se mendaciter Guilhelmu de Pratis indigat, in eius Epistola legerunt. Papa, inquit, ille potest dispensare contra ius naturale, & Apostolorum. Nam Glossator Gratiani expressè scribit, 15. quæstione 6. cap. auctoritatem, d. 32. cap. presbyter. dist. 34. c. lector. Sed grandis est calumnia, nam Pontifex dicit anathema cunctis docentibus, Posse pontificem contra ius naturale dispensare. Itaque glossatoris culpa, non est pontificis, deinde glossa illa in iure canonico hodierno nulla est. Nec vllus horum glossam vidit, sed mendacium mutuo acceptum aliis tradunt. Sed tamen sunt quedam, quæ iuris naturalis esse Canonistæ, & iurisperiti dicunt, quod iuri naturæ sint consentanea, mutari tamen

possunt, quia non omni tempore nec loco obligant, v. g. Iuris naturalis est alienum reddere, ius ciuile præscriptione transfert dominium, ius Apostolicum est, ne Episc. sit neophytus, sit vnus vxoris vir, vt omnis vir oret, & prophetet aperto, & semina operto cap. In his tamen dispensare videmus omnes interdum Sectas, non modo Catholicos. Hac mente loqui aliquis glossator potuit, & in istis dispensari posse docet Pareus in 1. Cor. 1. 14. Deinde calumniam retundit titulus Canonis, qui est: Apostolica auctoritas penitus illicita in irritum deducit iuramenta. At illicita iuramenta facere irrita non est contra ius naturale. Deinde ipse Canon qui est non modo Nicolai Papæ, sed veterum etiam. Auctoritatem venerabilium (15. q. 6.) prædecessorum nostrorum secuti, & nominatim beatissimi Papæ, & martyris Alexandri quinti à Beato Petro, ab omnibus iuramentis, & cuiuscunque modi obligationibus, quibus illi se coacti violentia impiorum obligauerant, absoluiimus: & ne illa seruentur, vetuimus tam præfatum Archiepiscopum Treuerensem, quam eius præpositum, & omnes qui tunc temporis capti se illis quoquo modo obligauerunt: neque vllam eos proinde infamiam, vel calumniam, aut à suis bonis sequestrationem vnquam auctore Deo, & sanctis Apostolis, & nostris prædecessoribus sustinere permittimus: sicut per prophetam Dominus dicit. (dissolue colligationes impietatis) Quinetiam præfato fratri nostro, filiusque Treuerensis Ecclesiæ, illiusque defensoribus hæc in mandatis damus: vt spirituali simul, & materiali gladio tam diu malignos illos, eorumque fautores insequantur, quousque cum integritate possessiones, vel quacunque res Ecclesiastica hoc facto vel quocunque pacto distracta, seu direpta sunt, reuocentur.

§. 3. Nec tolerabilior calumnia est, cum dicunt, Panormitanum dicere c. fin. de diuortis, Papam contra nouum Testamentum dispensare posse. Hac scurra: & speciem habet calumnia, quia verba Panormitani sunt. Secundo nota, quod Papa ex maxima causa posset dispensare contra nouum Testamentum. Quomodo vero intelligenda sunt verba dure sonantia, dicendum est ex additionibus, quibus lector ibidem remittitur ad cap. 13. 4. qui filii sint legitimi. Vbi sic habet: Nec obstat, si dicitur Papam posse ex causa dispensare in gradibus diuina lege prohibitis, vt notatur per aliquos in c. literas, de restitut. spoliator. quia illud verum, secundum eum disponendo, & legitimando matrimonium, vt ex nunc, non autem ex tunc, ita vt filij ante geniti censentur legitimati.

Hæc dispensatio non est in eo, quod simpliciter in nouo Testamento mandatum est, sed disponit circa aliquid, quod non est contra nouum testamentum. Agitur enim de rebus non omnino necessariis: quale est illud, quod Ambrosius Neophytus contra nouum testamentum venit ad Episcopatum. Deinde ex ipso canone res clara est. Panormitanus explicuit illud caput, in quo Innocentius tertius recens conuersis ad fidem, qui matrimonium contraxerant, cum relicta fratris secundum legem Moysi, propter infirmitatem permittit, vt eo matrimonio post baptismum vtantur. Non tamen liceat baptizatis ita contrahere, deinde subicit. Secundo nota, quod Papa ex maxima causa, posset dispensare contra nouum testamentum. Quod non est dispensare de aliquo, quod in nouo testamento scribitur seruandū, sed de aliqua lege Ecclesiæ, quæ in nouo testamento seruatur: nam nullus apex est in nouo testamento quo vetetur aliquis viduam defuncti fratris domū ducere, in veteri testamento etiam lex erat, quæ matrimonium illud imperabat. Non igitur contra nouum testamentum scriptum, sed contra legem Ecclesiæ noui testamenti dispensabat. Nec obstat, quod Matth. 14. 3. Ioannes dicit Herodi, non licere habere vxorem fratris sui. De vxore enim viuientis agitur.

Vt Hic-

3. Doctrinam oppugnant.

Purgatoriū qui nouum inuentum aiunt, omnia vetera ignorat.

Odiosam reddunt veritatē mendacis.

Caluiniani prædicantes archiepiscophana.

Ius naturale varie dicitur à iurisperitis.

Impia iuramenta, & coacta etiam iura ciuilia soluant.

Papa potest dispensare contra legem aliquā, quæ in nouo testamento est, hoc est in ecclesia.

Vt Hieronymus, Beda, alique testantur: Philippus enim anno Tiberii 20. mortuus est, Mens autem Pannormitani eodem in loco, (nempe in c. finali de diuortio, lib. 4. decretal. t. 19.) clara est, docet enim, non posse Papam contra leges diuinas dispensare.

Idem scurra, & ex eo Nouatores nudis quoque mendaciis contra auctoritatem Pontificis pugnant, Idem dicit Bertachinus, inquit, in Repertorio dictionis Papae. Idem allegant Iubilantes. Sed in eo repertorio contrarium penitus reperitur. *Papa non potest dispensare in prohibitis testamento peteri & nouo.* Anton. de But. & Ioan. Andr. in c. super de vsur. & Anton. de Prato in d. cons. 11. col. nec contra Euangelium, nec ius diuinum 20. distinct. 1. deinde 14. dist. sicut & glossa in cap. literas de restitut. spoliat.

Bertachinus igitur eos mendacii arguit, & auctores pro eare citat. Alia sunt innumera, vt nos Papam facere verum Deum, & similia, quae ab vno semel sine fronte dicta, ab omnibus deinde iterantur. In his itaque coram Deo & hominibus protestamur iniuriam fieri nobis, illi enim ἐν πλεονεξία πλεονεξίας ἡμᾶς ἐμπορεύονται, in auaritia fictis sermonibus animas negociantur. Vita eorum doli meditatio, & tritura mendacii:

Πενδὼν ἀνκτες, μηχανήροποι καὶ ὄν ἐλικά.

Mendaciorum reges, Machinarum structores, malorum Qui secum ita ratiocinantur: (volutabra.

Τὸ κέρδιον ἡδὺ καὶ ἀπὸ ψευδῶν ἐστὶν, Lucrum dulce est, etsi ex mendaciis sit.

Veteres ha-
retici, ho-
stes Papae,
nostri quo-
que hereti-
ci sunt ha-
retici.

§. 4. Cum igitur errore magno deficiant à prisca veritate, considerata sunt quae proponunt. Nunc quia generatim ea de re agimus, hoc solum protesta-
mur, nullam fore excusationem illis, qui ob has causas deficiunt, non magis quam decem tribubus, quia ab Hierosolymitano templo defecerunt. Nam nullo vnquam saeculo ab Romano Pontifice defece-
runt, nisi qui haeretici fuerunt, quos nostri quoque damnant. Deinde qui à nobis exierunt, à se mu-
tuo magis distant, quam à nobis plerique, alii in o-
rientem, alii in occidentem traducti.

Sed nihil admirabilius in eorum erroribus, quam quod iam conuicti, eo deuenerunt, vt veteres mar-
tyres in numero Antichristianorum habeant, quod impudentissime fecit Fredericus Braubomus in *flori-
bus flammis*, & refutauit in libro de incremento haereseon, sed prolixissime Wolfgangus Franzius dis-
seruit thesi 300. & sequentibus.

Martyres
inferi ad-
dicunt.

301. Tenuia quidem erant principia in Lino, Cleto, Cle-
mente, & tamen ille ex sacris ordinibus bis in vrbe habitis
presbyteros decem & octo, Episcopos XI. creauit, quos sine
dubio alibi presiceret, iste redegit in ordinem ex mandato
Petri, vt dixit, 25. presbyteros, hic scripsit ad alias Eccle-
sias Epistolam, quae non omnibus fuit probata, quemadmo-
dum apud Platina haec leguntur.

302. Secutus Anacletus constituit, ne Clerici barbam vel
comam nutrent, Euaristus ne plebis in Episcopum accusatio
reciperetur, Episcopos in diuersa loca creauit. Alexander, vt
aqua sancta, sale admixta interpositis sacris orationibus, &
in templis, & in cubiculis ad fugandos demones retineretur,
voluit quoque aquam admisceri vino in consecratione san-
guinis Christi: Oblationem quoque ex azymo & non ex fer-
mentato, vt antea, fieri mandauit.

Odioponti-
fici, etiam
martyres
deseñan-
tur.

303. Xystus I. constituit, ne Episcopi ad sedem Aposto-
licam vocati (Ecce & Nota Lector, Romani
Episcopi cito ausi sunt imperare externis aliarum vrbi-
um do-
ctoribus) redeuntes à suis reciperentur, nisi secum deferrent
literas plebem saluantes. (Ecce & Nota iterum le-
ctor, ita Romani Episcopi etiam inter persecutiones aliorum
procerum protectione confisi, tamen non tantum exteris Epi-
scopis, sed & Ecclesiis se insinuarunt pro capitibus) & vide
exemplum in vita Xysti.

304. Telephorus constituit, vt septem hebdomadibus
ante Pascha obseruaretur ieiunium: Higynus Papa ne tem-

pla dedicarentur, ne augerentur, ne diminuerentur sine
arbitratu Metropolitani vel Episcopi. Pius I. thermas Nouati
in vico patricij in honoratione sororis suae diuina Pudenciana
dedicauit. Anicetus constituit, ne Episcopus crimen Metropo-
litani sui ad aliam quam sedem Apostolicam deferret: item
ne Episcopi omnes Patriarcha vocentur. Soter, ne Mona-
cha villa pallam attridaret, neue thus in acerram poneret,
dum sacrificia fierent.

305. Eleutherius initio pontificatus statim Epistolam ac-
cepit à Lucio rege Britanno, quare rogabatur, vt se & suos in
Christianorum numerum reciperet, quare Eugatium & Da-
manum eo misit, qui regem ac populum baptizarent. Hunc
secutus Victor I. excommunicauit Episcopos Orientis, qui
Pascha nolebant celebrare statis diebus Dominicis. Zephy-
rinus I. ne Episcopus vel à Patriarcha, vel à Primate, vel à
Metropolitano suo in iudicium vocatus sine auctoritate Apo-
stolica damnaretur. Callistus I. vt quatuor ieiunia quatuor
anni temporibus haberentur: edificasse dicitur in honorem
B. Virginis Basilicam in Transiberina regione. Sed nolimus
Christia-
niterius progredi, quia (quantum pontificis est tribuendum
nus, cui
historici) ex his vnguibus facile est estimare leonem, & in-
martyres
relligere quid sit, quod dicitur, illis temporibus fuisse opera-
tum iniquitatis mysterium.

Quis illi est
Christia-
nus, cui
martyres
sunt
Christiani?

§. 5. Ecce lector Linus, Cletus, Clemens, Ana-
cletus, Euaristus, Alexander, Xystus, Telephorus,
Higynus, Pius I. Anicetus, Soter, Eleutherius, Vi-
ctor I. Zephyrinus I. Callistus I. operabantur iam
mysterium iniquitatis: quia illa fecerunt, quae narrat
homo haereticus: & quamuis vitam pro gloria Chri-
sti fuderunt, huic tamen sunt Antichristi, quia ope-
rati sunt mysterium iniquitatis, nec innocentes sunt,
quia ascendere altius non potuerunt: sed Antichri-
sti, quia sedem eius appetuerunt, censendi sunt, si
credimus haeretico. Absit vero vt primitiae Eccle-
siae martyres Apostolicorum temporum coaevos, An-
tichristianissimi damnemus, id potius gaudeamus, eos
nobiscum in eadem fide vixisse. vt habet de Lino ve-
tustissimus canon missae. Iren. lib. 3. cap. 3. Hieronym.
in catalago. Euseb. lib. 3. hist. cap. 12. Epiph. har. 27.
De Clemente idem illi testantur auctores. ille Epist. 3.
Missas sine Episcoporum licentia celebrare vetat.
Cum illo communicarunt tot millia martyrum pri-
mi saeculi, quos iam Antichristianos appellant no-
uatores. Anacleti Epistola, quae sunt in primo tomo
Conciliorum, ostendit illum esse nostrae fidei. Hic
Pontifex omnium antichristianissimus esse debet:
Nam Epist. 3. ex instituto Romanae Ecclesiae prima-
tum asserit. Haec vera inquit, &c.

Quid mirū
est, eos nobis
inseños,
qui beatos
martyres
calumni-
antur.

Anacletus
Romanae
Ecclesiae pri-
matum as-
serit.

Euanthum Irenaeus lib. 3. cap. 3. Epiph. har. 27.
Optatus lib. 2. contra Parmenianum. Aug. Ep. 165. Martyres
martyrem Christi non Antichristum agnoscunt. illi in nostra
Alexander Epist. ad Orthod. in T. I. conc. & de
consec. d. 2. can. In sacramentorum, in Eucharistia
corpus & sanguinem confici docet.

Martyres
illi in nostra
fide mortui
sunt.

Xystus inter alia statuuit de Episcopis euocatis ad
sedem Apostolicam, appellationes recipiendas do-
cet, in T. I. Conc.

Telephorus Epist. ad vniuersos T. I. coh. & de
consecratione, d. I. can. Nocte sancta, missas cele-
brare iubet, corpus domini conficere. Idem ieiunium
quadragesimae ait 7. septimanis ante Pascha
obseruandum, carnibus abstinendum. Epist. ad vni-
uersas d. 4. can. statuimus.

Higynus omnes Basilicae, inquit, debent cum
missa celebrari. T. I. conc. & de consec. d. I. can. o-
mines Basilicae.

Pius, in domo sororis Euprepiae missas agit, &
sanguinem domini conficit, vt constat ex Epist. ad
Iulium Viennensem Episcopum, de consec. d. I. can.
li per negligentiam. Idem de cruce consecrata, T. I.
conc. & 22. quaestione 5. can. Romanam Ecclesiam
ait esse omnium Ecclesiarum caput.

Anice-

Anicetus, Epistolæ eius, & decreta, quæ in T. i. conc. habentur, ostendunt, cum eiusdem nobiscum fuisse fidei.

Soter statuit, si vnus sacerdos morbo impeditus missam nõ absoluat, vt alius perficiat, in Tom. i. conc.

Eleutherius Romano Pontifici referuata ait definitiua de Episcopis iudicia, alia eius decreta Catholica sunt, ad eum à Martyribus Lugdunensibus legatus venit S. Irenæus. Victor sibi de Episcopis ait iudicium referuatum, contra Quartadecimanos egit.

Zepherini Decretales Epistolæ Tom. i. conc. plures leguntur, quibus nostram fidem astruit. Martyr egregius fuit anno 203. Euseb. l. 5. c. 27. Optatus. l. 2. Callistus anno 226. Martyrio coronatus est. De ieiunio quatuor temporum scripsit, nam ante Apostolica traditione tenebatur. Sed vt videtur tcr in anno prius agebatur, quod illud, quod in quadagesimam incurrebat, non numerarent pro ieiunio quatuor temporum.

Nostris hostes, calumniatores sunt martyrum.

Nunc omnium conscientiam appello, martyres illi, eadem docuerunt, propter quæ nos vt Antichristiani damnatur, cur ergo illorum est melior conditio, quam nostra? nam illis nos potius credere par est, qui & Apostolicis temporibus vicini fuerunt, & fidem suam sanguine suo consecrarunt, & quia nemo vel in illa Ecclesia, vel sequente de erroribus eos appellauit. Cur ergo ab illis receditis? cur persecutores Nerones, Domitianos, Traianos, Nervas, Adrianos, Antoninos canonizatis, quasi Antichristianorum Pontificum iudices, & legitimo iure vindices?

§. 6. Sufficit illa Martyrum damnatio nostræ religioni, separari ab illis nolumus, cum illis in carcerem, & mortem, imo in vestra odia, & contumeliosa iudicia ire lubet. Si hæc in illis fuisse venialia, nec celesti eos aspectu priuarunt, cur in nobis sunt tam mala, quam vos esse fingitis? Nolite ò Christiani audire Martyrum Christianorum posthumos calumniatores.

§. 7. Sed parum est in Martyres esse asperos, non Apostolis, non Ioanni Baptista parant. Horrendum auditu est, quod inter exultantes Iubilorum infanias in Academia Wittenbergenfi defendere ausus est Wolfgangus Frantzius. Ille, vt opera supererogationis negaret, & indulgentiarum thesaurum è medio tolleret, Ioannem Baptistam accusat.

Quid mirum, si Pontifex Antichristus audit, si Baptista damnatur.

Thesis 191. Porro opera supererogationis augere cupit Ioannis Baptista, 1. asperissima vita, de qua inter alia dicitur, nos in scripturis ostendere non posse, vbi Deus istam asperitatem imperauerit. 2. ex eiusdem respicientia & vitæ nouitate, qua ipse, qui nunquam à Deo alienus fuit, nunquam indiguerit.

192. Quod attinet ad historiam de asperitate vite Ioannis Baptiste, ibi non est questio de facto, hoc enim concedimus, quia à sacris literis commemoratur, sed de iure, vtrum recte talem asperitatem amulatus fuerit Ioannes.

193. Non recte fecisse Ioannem, inde patet 1. quia lex Moysis ceremonialis tum nondum erat abrogata. Et lex illa plures admittebat cibos, quam quos solos Ioannes comedeat. Vnde Christus discipulos ad Iudeos emittens dicit eis Luca 10. 7. Quicquid vobis apponitur, edite, nimirum non prohibetur lege Moysis. 2. Quia illam rigiditatem Essæam & Pharisæam pariter Christus ipse carpit Matth. 9. 16. 17. Marc. 2. 21. 22. Luc. 5. 36. 37. 38. 39. Vbi doctrinam Pharisæicam, & Ioannis quoque de nimis ieiunio vocat vestimentum vetus, vtres veteres. Legatur præ reliquis in hanc sententiam ista rectissime explicans Iacobus Faber Stapulensis in commentariis initiatoris super 4. Euangelia.

194. Et istam prauam consuetudinem contrariam legi Dei & à Christo cum improbatam, contraxerat Ioannes Baptista inter Essæos, siquidem tales fuisse mores Essæorum ex historicis liquet, nimirum gaudebant esse remoti à frequentia, secessuum, & solitudinis cultores, habere victum herbarum,

& fructus arborum, fugere cibos animales, sicut antea fecerunt Pythagorici.

Quid mirum est martyrum & pontificum esse hostes, qui præcursores domini, quo non est maior inter natos mulierum, à Christo toties laudatum, qui erat lucerna lucens, & ardens, tam petulanter infectantur?

Historiam veram esse concedit, contra aliorum Lutheranorum vanissimas expositiones, nam quidam æneidas, herbarum tenera, aut caneros, Eremitum villam suburbanam, vestem è pilis camelorum, damascenam togam interpretati sunt, vt cum Ioanni similes esse non vellent, illi sibi similem efficerent; maluerunt enim Ioannem deliciis solutum proponere, quam illius asperitatem delectamenta sua turbare.

Veteres Lutherani S. Ioanni laetitias affingunt.

Sed rationes videamus. Lex Moysis plures cibos admittebat, quam Ioannes edebat, male igitur Ioannes. Vt species argumenti sit, addatur maior. Quicumque non edit omnes cibos, quos lex permittit, ille contra legem agit. Vbi obsecro mentem reliquerunt, qui sic argumentantur? Qui inter legis imperium, & permissionem discrimen ignorant? Lex Christiana omnibus mullos, ostrea, Artagenas & quicquid est escarum permittit, nec tamen peccant, qui à plerisque abstinent. Nonne est virtus placitis abstinuisse bonis? Nonne in regio apparatu mensarum licet vno genere cibi alteroque contentum, paucis sedare famem? at Christus discipulis dixit Luc. 10. 7. Quicquid vobis apponitur, edite. Estto sane, illi hac potestate vsi sunt, Ioannes arctiorem sibi abstinentiæ legem indixit, non ideo peccauit Ioannes iuri suo renunciando, quia discipuli bene fecerunt vtendo. Licuit Apostolo Paulo de Euangelio viuere, quemadmodum & ceteris Apostolis, sed maluit sine sumptu ponere Euangelium. De altari viuere poterat, nec illi trituranti os obturandum erat magis, quam fratribus Domini, & Cephæ, mortamen mauult, quam euacuari gloriam suam.

Non potest baptista, nisi à magna infamia, damari.

Quod vero ait Ioannis ieiunium à Christo reprehensum, calumnia est. Matth. 9. 16. & 17. Marc. 2. 21. 22. Luc. 5. 36. 37. 38. Non enim Ioannis nimia dicit ieiunia, nec vocat vtres veteres, aut vestimentum vetus. Sed discipulos suos tirones, infirmos, nondum ad noua, & grauius toleranda duratos. Excusat igitur suos, non accusat Ioannem. Quod ex hoc loco constat: nam dicit, non esse conueniens, vt filii nuptiarum, aut thalami, quamdiu est cum ipsis sponsus, ieiunent, fore, vt postea ieiunent, quod eos præstitisse eorum historiæ, & Epistolæ docent. Quod si vtres veteres, & vestimentum vetus vocantur ieiunia Ioannis, quid ergo est vter nouus, & vestimentum nouum? Deinde si vitiosum fuit Ioannis ieiunium, fuit & de Iudeis, ab ipso male electum, non igitur verus Doctor Ioannes fuit, præsertim hæreticis, qui de Iudeis & gentilibus idololatriæ comparant. Tertio, ieiunium Ioannis Christus ipse laudauit, cum enim Matth. 11. à v. 7. vsque ad 18. Ioannem laudasset: subiungit: Venit Ioannes neque bibens, neque manducans, & dicunt, demonium habet: ideo similem ait generationem illam pueris laudauit dicentibus, cecimus vobis & non saltastis, lamentauimus & ieiunium non planxistis. Tanta igitur asperitate pœnitentiæ, qua monstrabatur, non tantum docebatur vita æterna, oportebat eos excitari ad virtutem: & quia nec seueritate Ioannis, nec benignitate Domini conuersi sunt, exprobrat illis contumaciam.

Christus Ioannem S. Ioannem S. Ioannem S.

At si contra legem Moysis fuisset illa vestitus, vitæque asperitas, merito dixissent Iudæi, demonium habet, vt qui legem Dei violaret. At tam Lutherani, dicunt imquam Calviniani fatentur Iudæos impudentissime, pudentissime & calumniosissime, tam Ioannem, quam Christum miserrime fugillasse, quibus nunc succedit Academicus Wittenbergenfis, qui vt Papam euerter, Ioannem Baptistam Christo opponit.

Deniq; Ioannem Essæum vocat, eorum moribus im-

Essæi quibutur, les.

butum, eorum discipulum. Essenos admodum laudant historiæ, liber hebræorum quem Iuchasin vocant, Essenos Nazareos appellat, quos 70. nominare solent *ἡσαστῆρες*, origo eorum ab Rechabitis, quidam eorum erant *Κεϊνόβιαι*, alii *μονάζοντες*, ita Iosephus, alique. Abraham Zachutz, moribus optimis ait fuisse, odio habuisse lucrum, causasse scortationes, & Iosephus *Καταφροντίας* fuisse *Ἰσλάτυ*. & lib. 18. cap. 2. *βαλπίτης ἢ ἀλλῶς ἀνδρες τὸν τεύπον*, optimis moribus præditos, cœlibes, agricolas, deliciarum, vt vnctionis & ornatus exortes, de fato, quod illud crediderunt, bonum sensum habere potest. Si Esseni viri boni, & sancti fuerunt, non docuerunt Ioannem consuetudines legi Dei contrarias; si hæretici, vt fere sentiunt nouatores, Ioannem quoque eorum discipulum, & imitatore hæreticum faciant oportet, vt cuius vita tota fuerit diuinæ legi contraria, & à Christo improbata: cum tamen de eo dictum sit, *Et tu puer Propheta altissimi vocaberis, præbisc enim ante faciem Domini parare vias eius, ad dandam scientiam plebi in remissionem peccatorum eorum.*

Contumeliosa est laus eorum, qui tam sanctos accusant.

Hæc generatim monere volui, ne quispiam tot calumniis, quas plenis mendaciorum plaustris deuehant, moueatur, cum videt, non modo pontifices, & clerum, sed quod impium est, veteres martyres & eorum Ecclesias antichristianissimi accersi, imo S. Ioannem Baptistam, impietatis, & erroris accusari. Id Deum rogamus, ne vnquam illo ore laudemur, quo tam sancti tam impudenter accusantur, nec ab illis, qui non magis à nobis, quam à Baptista recefferunt.

CAPVT XXII.

Aliæ causæ, cur à nobis recefferint, iniustæ.

§. 1. **O**STENDI causam eũ tanto odio in pontificem, Catholicosque ferantur, non esse in nobis, sed in malitia apostatarum, nam pari modo in veteres martyres, & Ioannem Baptistam inuadunt. Nunc causas speciales examinare placeat. Causas tot allegant, quot articulos à nobis diuersos tuerunt, sed eos singulatim deinceps explicabo, nunc quæ proprie in pontifice carpunt, videamus. Refferri illa ad tria capita possunt, superbiam, quod se Deo æquet, Regibus imperet, duplicem potestatem vsurpet, 2. libidinem, quod scortationem appetat, quod impure viuat. Auaritiam quod fraudibus omnes circumueniens opes colligat. Hæc omnium argumenta sunt concionum. Legi potest vel vnus Pandocheus, non quod reliquis doctior, sed quod mendacia in concione velut in Pandocheio errabundus constiparit. Aut Vincentius Schmuck in thesibus. Vel sane si varietas placet. Simon Steinius poeta, qui ridicule mendax carmen miserum in Academia Heidelbergensi disperdidit, ille saltem legenti gratias agat, & quidem carmine, quo miserimos versiculos concludit.

Quod reliquum est, auditorum, mea Musa, corona,

Pro tanto sese gratam declarat honore,

Quod voluit præsens decorare senem capularem.

Quia vero ex Daniele & Apocalypsi omnes pontificem oppugnant, & scripturarum deprauatione hæreses stabilire conantur, ego quoque loca illa explicanda sumpsi, vt omnibus constet, quantum à vero aberrant. In quo iterum & merito, & serio protestor: Ex Apocalypsi non posse eos fidem firmare suam, cum illum librum primores Lutheranorum, & Caluinianorum repudiarent, & posteri certiores esse non possint, quam illi fuerint. Secundo

Ex Apocalypsi nihil agere contra Pontificem possunt.

Prophetias Danielis, & Apocalypseo esse obscurissimas, ab interpretibus varie intellectas in pontificem intorquent, & catholicos omnes, & ex coniecturis leuissimis condemnant, & pœnas atrocissimas decernunt. Fateor, inquit Pareus (qui anno 1618. in cumulum iubilorum omnium edidit commentarios in Apocalypsin,) complures seculi nostri maioris notæ Theologos, Lutherum, Melancthonem, Bucerum, Martyrem, Caluinum, Beza, alios, ab interpretatione Apocalypseo abstinuissse. Id vero neque auctoritatem libri diminueret, neque interpretibus aliis præiudicare potest. Quis scit enim obscuritate absterriti, an laborum mole, temporis angustia præditi abstinerint, cum de libri auctoritate minime dubitarent. Tandem fatetur illos commenta parum coherentia, aut ad mentem Spiritus sancti quadrantia protulisse. Factum inde, vt cumulati quidem in hunc librum commentarij exstent, quorum nullus non nouam lucem pollicetur, obscuritas vero eius non modo non sit imminuta, sed densioribus alicubi tenebris inuoluta. Nihil vnquam in his rebus dixit verius Pareus, & si ita pergat, aliquam tot mendaciorum veniam meretur. Ex his ergo tam obscuris damnari nos æquum non est. Sed rem ipsam videamus, vt magistratum Ecclesiasticum, sine quo nec concordia, nec disciplina consistit, stabiliamus.

Lucem promittunt, & tenebras cõdentsant.

CAPVT XXIII.

Angelus Apocalypsis 14. 6. Lutherus non est, nec is contra pontificem audiendus.

APocalypsis 14. 6. ita scribitur. Et vidi Angelum volantem per medium cœli habentem Euangelium æternum, vt euangelizaret sedentibus super terram & super omnem gentem, & tribum & linguam, & populum dicens magna voce: Time Domini & date illi honorem, quia venit hora iudicij eius: & adorare eum, qui fecit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt, & fontes aquarum. Et alius angelus secutus est dicens, Cecidit, cecidit Babylon illa magna, quæ à vino ira fornicationis sue potauit omnes gentes. Et tertius angelus secutus est illos dicens vocemagna. Si quis adorauerit bestiam & imaginem eius, & acceperit charactrem in fronte sua aut in manu sua: hic bibet de vino ire Dei, quod mistum est mero in calice ire ipsius, & cruciabitur igne & sulphure in conspectu angelorum sanctorum & ante conspectum Agni.

Hic Angelus iubilantibus est Lutherus, non vultuosis Lutheranis, non Caluinistis. Multi hæc verba pro themate concionum vsurparunt, imprimis Matthias Hoc Archiconcionator Saxonicus Concionibus quinq; de Thaumasiandro & Triumphatore Luthero, cui video cæteros blandiri, vtpote ex aulica potentia venerando. Mirum vero est, tot concionibus ne vno quidem eos argumento probare Lutherum esse angelum, sed tantum affirmare, & tanquam id certum sit, inde confectaria deducere, epiphonemata proclamare. Sed ille adeo stolidus est, vt confessionem Augustanam tenere se putet integram, aut ex opinionibus Lutheri se Euangelium docere. Ideoque in concione prima in Caluinistas iracunde inuehitur. Plurimi alij in hoc argumento versati, hunc angelum de Luthero interpretati sunt. Quorum illa est ratiocinatio. Angelus qui volans per medium cœli, fert librum Euangelij æterni, is audiendus est. Sed angelus ille est Lutherus, igitur audiendus est Lutherus. Igitur est Antichristus Pontifex.

Lutherus angelus est Lutheranus.

Nemo non videt totam difficultatem in minore consistere, si enim ita est; omnibus nobis antiqua fide mi gran-